



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Andreæ Vallensis Vvlgo Del Vavlx Andanensis, I. V. D. Et
In Alma Academia Lovaniensi SS. Canonum Professoris
Ordinarii, Paratitla Ivris Canonici Sive Decretalivm D.
Gregorii Papæ IX. Svmmaria Ac ...**

Delvaux, André

Coloniæ Agrippinæ, 1686

2. De divisione Præsumptionum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62177)

Instrumento inscripti, adhuc superstites contradicunt instrumento: quo casu licet variæ quæque sint opiniones, teste Abbat. *d. loco num. 14.* placuit tamen communis, tolli omnino fidem per duos testes, eidem instrumento inscriptos, per text. in *s. Tam literis h. r. Felin. in d. e. Cum iam. n. 46. Covar. d. loco, vers. Secunda concl.*

4. Secundò improbari possunt instrumenta, si ab eodem contraria fuerint producta: tunc enim utrumque reiicitur. Et imputare sibi debet, qui contrarias inter se scripturas protulerit, fidem sibi invicem derogantes, *e. Imputare 13. h. r.* Verùm si à diversis diversa & contraria instrumenta producantur, tum iudicis erit æstimare, utri standum putet, pro rerum, testium & Notarii qualitate. Sin discernere non possit, & utrumque æquè probabile videatur, neutri credi debet, *d. e. Imputare & Interpp. ad d. l. Opsimam C. De contrab. & commit. stipul.*

Tertiò, improbatum instrumentum cancellatum, vel si rasuram habeat dictionis vel syllabæ, quæ sententiam & substantiam rei alterare possit, & instrumentum reddat aut falsum aut saltem suspectum, *e. Inter dilectos 6. vers. instrumentum quoque h. r.* Nisi rasura sit in loco non suspecto, aut talis, quæ instrumentum arguere non possit falsitatis, *e. 3. h. r. e. Cum olim inf. De privil.* Denique improbatum, si probetur confectum ab alio Notario, quam qui subscripsit, *d. e. Inter dilectos vers. instrumentum.* Vide plura de hac re apud Ferrar. in *Forma opponendi contra instrum.*

TITULUS XXIII.

De præsumptionibus.

§. I.

Quid sit Præsumptio.

1. Præsumptio quid sit.
2. Semper circa rem dubiam versatur.
3. 4. 5. Fictio quid sit, & in quo differat à Præsumptione.

Loco probationum sunt etiam Præsumptiones, quæ quandoque plene, quandoque semiplene probant, interdum aliàs præsumptiones adiuvant.

Præsumptio autem nihil est aliud, quam conjectura probabilis, ex certo aliquo signo proveniens, ad adstruendam rei dubiæ fidem, seu quæ, alio non adducto, pro veritate habetur. Vel est anticipata de re dubia opinio ex argumentis, iudiciis, & coniecturis, per rerum circumstantias plerumque eventibus, sumpta, Menoch. *De Præsumpti lib. 1. quæst. 7. num. 4.*

1. Dicitur, rei dubiæ, quia præsumptio semper versatur circa rem dubiam, quæ scilicet potest esse vel non esse. Et ideo sæpe convenit cum ipsa veritate: in eoque differt à Fictione.

3. Quæ est falsitatis indubiæ pro veritate ex iusta aliqua causa assumptio, sitque semper super aliquo certo contra veritatem.

4. Præterea fictio non inducitur ab homine, sed à lege dumtaxat, & est quædam legis dispositio, ideoque non admitti directè probationem in contrarium. At indirectè admittitur probatio adversus fictionem, nempe demonstrando, cessare æquitatem, super qua illa fictio fundatur. At verò præsumptio de sui natura semper admittit probationem in contrarium: ut de præsumptione hominis & iuris clarum est; & de præsumptione iuris & de iure patet ex eo, quòd, licet regulariter excludat omnem probationem in contrarium, tamen admittat confessionem partis in contrarium, atque etiam indirectam.

5. Insuper præsumptio una alteri adversari potest: atque inde potentior tollit minus potentem. Potest etiam concurrere cum alia vel aliis: versatur circa ea, quæ sunt facti: extenditur de persona ad personam, & allegari debet. Atqui fictio una alteri contrariari non potest. *l. 3. §. de contrarso D. De acquir. possess. nec cum alia vel aliis concurrere, quia duo specialia, cuiusmodi sunt duæ fictiones, simul esse non possunt: versatur circa ea, quæ sunt facti & iuris simul: nec extenditur de persona ad personam: neque est necesse eam allegare cum sit dispositio quædam iuris.*

§. II.

De divisione Præsumptionum.

1. Præsumptio alia est Hominis, alia iuris.
2. Præsumptio Hominis alia est Legis, alia Probabilis.
3. Præsumptio iuris alia est iuris tantum, alia iuris & de iure.

1. Præ-

Præsumptionum alia est Hominis, alia Juris vel Legis, Præsumptio Hominis est quidam conceptus in mente Hominis, causatus ab aliqua conjectura. Et dicitur Hominis, quia nullo jure comprehensa aut confirmata reperitur.

2. Dividi ea potest in Levem seu Temerariam & Probabilem seu Discretam. Temeraria est conceptus in mente hominis, causatus ex aliqua conjectura non probabili. Et hæc nihil probat, *c. Inquisitioni 44. inf. De sent. excommunicat. can. Orves pastorem*; in verbis, *Omnis suspicio est potius repellenda, quam approbanda vel recipienda, vi. q. 1.* & ideo Pont. ait, nullum suspensionis arbitrio judicandum, *can. Primo semper 2. q. 1.* Probabilis præsumptio est conceptus, causatus in mente hominis ab aliqua conjectura probabili. Estque nunc major, nunc minor. Unde eandem quidam dividunt in Vehementem seu Violentam, quæ facit plenam probationem, & in non Vehementem seu Minorem, quæ probat semiplenè, *d. c. Inquisitioni vers. fin.* Et si famâ publicâ vel aliis administratis adjuta fuerit, etiam plenam fidem facit *c. Tertio loco 31. h. t.* Sed non sunt hæc diversæ species, *arg. l. ult. D. De instru. vel instrum. legato.* Cumque variæ atque multiplices sint hujusmodi præsumptiones, & ex variis causis oriri possint, non potest de his certa tradi doctrina, verum relinquuntur ea arbitrio Judicis.

3. Præsumptio Juris dicitur, quæ in ipso jure est scripta, vel à lege approbata. Et hæc dividitur in præsumptionem Juris tantum & in præsumptionem juris & de jure.

4. Præsumptio juris tantum est, quando jus in dubio aliquid præsumit, nihil desuper constituendo, quod pro jure habeatur; & ideo admittit probationem in contrarium. Talis est præsumptio solutionis, quæ oritur ex cancellato chirographo, *l. Si chirographum 42. D. De probat.* Item ea, quæ præsumitur, patrem ante filium puberem decessisse, cum ascendens prius intelligatur mortuus, quam descendens; aut filium impuberem prius decessisse, ubi uterque uno casu, v. g. naufragio extinctus est, cum ætas impuberis videatur magis obnoxia repentino casui, *l. Qui duos 9. §. cum bello & §. fin. D. De reb. dubiis.* Talis quoque est, quæ præsumitur is, qui in adolescentia probis

fuit moribus, etiâ in senectute probus, & contra, *c. Ex studiis 3. c. Mandata 6. Cum in juvenute 15. h. t.* quæque præsumitur nocens, qui protelando & differendo subterfugit judicium, *c. Nullus 4. hoc t.* Item qui ex duobus sibi propositis unum negat, alterum tacendo concedere præsumitur, *c. Nonne 5. hoc t.* Similiter si Pont. per rescriptum mandaverit provideri alicui de beneficio Ecclesiastico, adjunctâ hac conditione, si fuerit idoneus, non est necesse, ut is, pro quo rescriptum, probe se idoneum esse, quia præsumitur esse talis juri præsumptione; sed si quis contra contendant, eum non esse idoneum, id probare debet, *c. Nihil, t. & sic de similibus aliis.*

Præsumptio juris & de jure est, cum Lex aut Canon, ita aliquid præsumit, ut super tali præsumptione jus firmum statuat, & eam pro veritate habeat. Dicitur, præsumptio juris, quia à jure introducta; & de jure, quia super tali præsumptione lex inducit firmum jus, & eam pro veritate habet: ita ut non admittat probationem in contrarium uti admittit præsumptio juris tantum. Talis est præsumptio matrimonii, quæ oritur ex concubitu sponsum sponse, *c. Qui fidem inf. De sponsalibus.* Ubi tamen advertendum, tale matrimonium præsumptum inter sponsum & sponsum, propter carnalem copulam subsecutam, esse abrogatum per Concil. Trid. Sess. 24. cap. 1. ut postea dicemus. Talis item est præsumptio, quæ qui semel convictus est pejerasse, præsumitur semper in posterum pejeraturus, secundum Reg. Qui semel malus, semper præsumitur malus, *c. 8. De R. l. in 6.* Tales quoque sunt, quæ extant in *Antiqua Cod. ad Senat. sc. Vallesanum*, in *l. fin. Cod. Ad Macedonianum*, in *l. fin. circa princ. Cod. Arbitrium tutelæ.*

§. III.

Ex quibus oriuntur Præsumptiones.

1. *Oritur Præsumptio vel ex naturali causa.*
2. *Vel ex principiis humanis aliisque circumstantiis.*
3. *Præsumptio juris & de jure ex actis præteritis temporis.*

Oriuntur autem præsumptiones sex variis causis: nempe vel ex naturali causa, &